

talem contratam per quam ire non ualent equi quia ibi sunt multi lacus & fontes. & est ibi tam magna glacies & cenum quod equi non posunt per ipsam pergere. & Jsta mala contrata durat per tresdecim dietas. & In singulis dyetis est quedam posta ubi nuntij qui per contratam pergunt hospitantur. & in singulis postis sunt bene quadraginta canes ualde magni/ paulo minores asinis| & isti canes ferunt ^{123^r} ambasiatam de una posta ad aliam. & dicemus qualiter. Quoniam per totam illam contratam equi non ualent pergere propter glatiem atque lutum. quia iste tresdecim diete sunt inter duos montes in magnis ualibus. Et ibi glacies tam magna & cenum quemadmodum audiulistis & ob istam causam equi non ualent pergere. Et quia carpente cum rotis non ualent duci/ fieri fecerunt tregiam sine rotis & taliter facte sunt quod ducuntur super glaties & lutum ita quod non nimis figuntur. & de istis tregijs multe sunt in patria nostra. quia sunt ille super quas fertur fenum & palea in hyeme quando est tam magna pluuiã & cenum. & super istas tregias apponitur quoddam corium vrsi & postmodum super ascendit quidam nuntius & istam tregiam ducunt sex canes de illis magnis quos uobis diximus superius. et nullus ducit istos canes set uadunt recto itinere ad aliam postam. & trahunt tregiam ualde bene super glatiem & cenum. & uadunt de una posta ad aliam. verumtamen ille qui custodit postam/ ascendit similiter super quamdam tregiam/ & facit se ducere canibus. & iste ducit ipsos per meliorem uiam. & magis rectam. & cum peruenerint ad aliam postam inueniuntur etiam ibi canes preparati & tregia qui ducunt ulterius. & qui porta|uerint redeunt ad eorum postam. & ita ^{123^v} itur per omnes istas dietas/ quia semper canes ducunt nuntios. homines quidem qui permanent in illis ualibus & montibus illarum xiiij dietarum sunt magni uenatores. nam capiunt multas bestias magni ualoris de quibus habent magnum profectum & lucrum. quia capiunt çibellinos/ erminos uaros/ ercolinos. & vulpes nigras. & alias multas bestias de quibus fiunt peles magni ualoris. fatiunt sua ingenia propter que non possunt euadere. Et propter intensum frigus quod ibi est omnes domus eorum sub terra sunt & sub terra continuo permanent. Alia quidem ibi dicenda non sunt. & ideo ulterius procedentes narabimus de quodam loco ubi semper est obscuritas/ hic naratur de prouincia obscuritatis//—

*hic queda[m] prouincia
obscuritatis*

Est enim quedam prouincia ualde ante istud regnum que obscuritas nuncupatur. ubi non apparet sol/ luna/ neque stelle. & hoc accidit ex densa caligine que continue ibi regnat. nec unquam destruitur nec discedit/ ipsius gentes nullum habent dominum uiuunt tamquam bestie. & non sunt sub dominio dominj alicuius. bene uerum est quod tartari intrant ad eos aliquibus uicibus in hunc modum. Ipsi quidem tartari intrant super equas puledros habentes qui puledros dimitunt extra introitum ad hoc ut eque cum fecerint iter suum redeant|
/ad puledros nam|